



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

135. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

laici in domibus propriis præcipiant Presbyteris Missas celebrare & inter canum discursus & scortorum greges sanctitatis mysteria polluantur magis quam consecrentur. Quapropter præcipimus ut nullus Presbyter extra Ecclesiam præsumat Missam cantare, nisi fortè itineris necessitas exposcat; ubi in tentorio, aut sub divo, in loco nitido & longè ab omni immunditia remoto Missas celebrare permittimus. & hoc nullatenus sine tabula consecrata.

De eadem re. *Ex epistola Anacleti Papæ.*

CXXXIII. Sacerdotes, quando sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant, ut Deo perfectè in sacratis Domino locis sacrificare probentur. Ait namque auctoritas legis divinæ: *Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus.* [*Vide lib. 6. Capitular. cap. 198. 205. lib. 7. cap. 99. 312. 334. & Addit. II. cap. 7. 10. & Capitulare Riculfi Sueffion. cap. 11.]*

Burchard. lib. 3. c. 71.
Vide infra cap. 339. & 340. hujus libri.
Deuter. 12.

De ebriosis Clericis. *Ex Concilio Agathensi.*

CXXXIV. Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio à communionem statuimus submovendum, aut corporali * dandum supplicio.

Conc. Agath. c. 41.
Burchard. lib. 14. c. 11.
* subdendum

De eadem re. *Fructuosi Episcopi.*

CXXXV. Si quis ecclesiastica præditus ordinatione, aut monachus, repertus fuerit

Burchard. lib. 14. c. 9.

84 REGINONIS LIB. I.
ebriofus , in pane & aqua tribus pœniteat
mensibus.

De eadem ré.

Burchard. lib.
14. c. 6.

CXXXVI. Si quis Episcopus aut aliquis
ordinatus in consuetudine ebriofus fuerit , aut
desinat , aut deponatur.

De eadem ré.

CXXXVII. Laicus si ebriofus fuerit , tres
dies in pane & aqua pœniteat.

Generales sententiæ de omnibus ebriofis ac
vinolentis. Sancti Hieronymi Presbyteri
& Ephræm Syri Diaconi.

Hieron. in
epist. ad Eu-
stoch.
Burchard. lib.
14. c. 12.

Genes. 9.

Genes. 19.

Os 4.

Ephes. 5.

CXXXVIII. Fuge vinum velut vene-
num , ne ebrietas superet te , expoliatúmque
virtutibus , nudum efficiat. Vinum enim , ut
sancta scriptura dicit , apostatate facit etiam
sapientes. Attende Noë , virum sapientem &
sanctum , quomodo ad ebrietatem nudatus est
dormiens. Attende Loth Patriarcham , qui
per ebrietatem impudenter se commiscuit fi-
liabus. Hinc beatus Basilus ait : *Multi per
vinum à demonibus capti sunt ; nec est aliud
ebrietas quàm manifestissimus demon.* Hinc
Propheta ait : *Fornicatio & ebrietas aufert cor.*
Ebrietas enim perturbationem parit , gignit
mentis furorem , & flammam suscitât libidi-
nis , Apostolo teste : *Nolite inebriari vino , in
quo est luxuria.* Si quis autem contra hæc san-
ctorum fecerit statuta , dignam ac longam agat
pœnitentiam ; quia unum est ex his peccatis
quæ hominem à regno Dei separant , dicent